

1994  
A

7387



3: 2x 06



Freiherr v. Ende-Miljessnitz.





Q. D. B. V.  
COLLEGII PUBLICI  
DISPUTATIO XIIX.  
ET ULTIMA

De  
PUBLICIS JUDICIIS,

Ad  
*Tit. ult. Lib. IV. Inst.*


Qvam  
IN ALMA FRIDERICIANA,  
SUB PRÆSIDIO  
DN. JOAN. SAMUELIS STRYKII,  
J. U. Licentiati & Prof. Publ. Extraord.

*In Auditorio Majori*

die *Septembr. A. R. S. MDCXCIII,*

publicæ ventilationi  
submittet

RAYMUND ANTON. LEOPOLD  
de LÖWENBERG, Eqves Auftriacus.



HALÆ,

TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT. BRAND.  
TYPOGR.



C. D. R. N.  
DISTRIBUTIO XIX  
PUBLI...  
IN ALMA...  
BY JOAN SAMUELIS STRAHL  
RAYMUNDUS...  
LEOPOLD







I. N. J.

Th. I.

**I**nter crimina primum locum  
obtinet læsæ Majestatis scelus, quod omnium  
delictorum maximum, enormissimum & atro-  
cissimum appellat Roland a Valle *Vol. 1. consil. 73.*  
*n. 3.* Hoc dividitur iterum in crimen læsæ Ma-  
jestatis divinæ & humanæ, illud in specie Ma-  
gia vocatur, quæ, si de pacto cum Diabolo & abnegatione Dei  
constet, igne punitur. Gœhaus. *Process. contra Sag. qp. 2. Carpz. qp.*  
*49. n. 67.* Quod si vero nullum expressum pactum intercesserit,  
mediis tamen diabolicis usus quis fuerit & alteri nocuerit, gladii  
pœna dictari solet, vid, *L. 5. § 6. C. de Mathem.*

Th. II.

Tale etiam cum Satana pactum saltem implicitum, subest  
illis artibus, quibus nonnulli se invisibiles reddere possunt: quan-  
quam enim speciem naturalitatis præ se ferre videantur tales  
artes, quales ex Plinio *Hist. Nat. l. 28. c. 8.* recenset A. Gellius *Noct.*  
*Attic. l. 10. c. 12.* nihilominus tamen, cum natura non possit effe-  
ctus sibi contrarios producere, non liberabitur à suspitione tale  
artificium: quod etiam rectissime damnat Friederic. Balduin.  
*Cas. Conscient. l. 3. C. 5. cas. 5.*

Th. III.

In hac materia non negligenda quæstio est: quid sentien-  
dum de confessione Sagarum, si hanc vel illam personam in mon-  
te Bructeronum (auff dem Blocksberge) se vidisse asserant: an ta-  
li assertioni fides habenda? Negamus id absolute. Quia valde  
dubium, an unquam conveniant sagæ in illo monte, quicquid  
etiam

A 2



etiam asserat Henricus Inftitor in malleo maleficarum P. II. cap. 3. cui  
respondet Reink. *Resp. Jur. de Proc. Sag. qv. 1. v. 8. in fin.* vid. Joh.  
Franc. Ponzinib, *Tr. de Lamis n. 45. & seqq.*

#### Th. IV.

Cum tamen has reales sagarum translationes multi de-  
fendant, inter quos Paul. Grilland. *de Sortil. qv. 7. n. 31.* Nicol. Ro-  
driquez. *Tract. Crim. T. II. ad Cap. Cum Christus X. de Heret. qv. 6. n. 3.*  
ponamus, dabile id esse: Fides tamen nihilominus eis non ad-  
hibenda; omnia enim ibi repræsentantur illis artificio Diaboli;  
hunc vero mendacii Patrem esse, sacra loquitur pagina *Job. 8. v. 44.*

#### Th. V.

Illud tamen non minimam suspicionem præbet, si saga con-  
fiteatur, se v. g. à Mevia in artibus magicis instructam esse vid.  
*Const. Crim. Art. 44.* Quorsum etiam pertinet, si asserat Meviam  
Diabolum sibi vendidisse sub forma canis, leporis &c. quod de  
tali venditione intelligitur, quæ sub prævia pollicitatione futu-  
ræ felicitatis facta. Qualitas tamèn personæ, de qua confessio  
facta, bene attendenda à Judice, quod etiam commendat impri-  
mis Carolus V. *d. Art. 44.*

#### Th. VI.

Sed quid de illa Sagarum indagine judicandum, ubi sagis  
colligantur manus & pedes, & sic corpus colligatum projicitur  
in aquam consecratam certo ritu, de quo vid. Martin. Delrius  
*Disquisit. Magic. l. 4. c. 4. Sect. 4.* quo casu si corpus mergatur, perso-  
na innocens æstimatur, sin superferatur, censetur convicta, cum  
aqua videatur eas respuere? Nos hanc probationem plane illicitam  
existimamus, nihil enim admittere debet Judex, quod non  
ratione percipit: Deus quoq; non est tentandus, nec absque  
necessitate ab eo poscendum miraculum. Hinc rectissime etiam  
illum modum damnat prolixè Gonzalez Tellez, *T. V. ad Cap. 3.*  
*X. de purgat. vulg. p. m. 536. & seqq.*

#### Th. VII.



### Th. VII.

Sequitur Crimen læsæ Majestatis humanæ, quod iterum vel in specie ita vocatur, vel etiam crimen perduellionis, illud in directo Principem tangit: hoc salutem Principis & Reip. directo & proxime turbat; inde gravissimo huic delicto pœna statuta est, ita ut etiam memoria perduellis post mortem ejus damnari soleat; h. e. nomini defuncti perpetua infamiæ nota inuritur. Cadaver inhumatum relinquitur *L. 1. C. de Cadaver. pun. condemnatus non lugetur L. 35. ff. de Relig. & Sumpt. fun. statuz in ejus honorem erectæ detrahuntur L. 24. ff. de Pœn. imo insignia gentilitia delentur, ac arma ejus franguntur. Qvale Exemplum contigit Ao. 1663. d. 24. Julii CORNIFICIO COMITI ab ULEFELD, Supremo Aulæ in Dania Magistro, executione tamen in effigie facta. Conf. Tiraquellus *de Nobilitat. c. 6. n. 15.* Mart. Rumelin, *ad A. B. Part. III. Diff. 4. Th. 2. Parlador. Rer. quotid. l. 1. c. 21. per tot.**

### Th. VIII.

An etiam contra Principes Imperii, & Status cæteros, præter Electores, committatur Crimen Majestatis, quæstio est inter Juris Publici Dd. De Electoribus res clara est, propter textum expressum in *A. B. tit. 24.* De cæteris vero Principibus & Statibus id negat Ludvvellus aliiqve; Nos contrarium defendere conabimur cum B. Zieglero *de Jurib. Maj. l. 1. c. 2. §. 37. & seqq.* licet non eadem pœna ratione confiscationis bonorum afficiantur delinquentes.

### Th. IX.

Crimen hoc Majestatis non committitur, nisi à subditis. Bschov. *ad Trentl. V. II. Disp. 32. th. 1. lib. B.* Vasalli igitur, si non simul subditi sint, hujus criminis notam non incurunt *Clement. 2. de Sentent. & Re. Jud.* pariter nec extranei: quæquam enim ab omnibus reverenter habenda Majestas, adeoque etiam extraneus contra faciens puniendus sit; interim tamen non mox tanquam Reus criminis læsæ Majestatis puniendus, cum nullo vinculo Reip. sit adstrictus. vid. Eman. Soarez. *Recept. Sent. lit. M. n. 6. M. Ant. Peregrin. de Jure Fisci l. 5. tit. 1. n. 18.*



Th. X.

An vero ille etiam Majestatis Reus fiat, qui scivit tale delictum committendum, idque suo indicio non manifestat? Quamquam alias scientia delicti committendi non noceat scienti Joh. Bapt. Costa *de fact. Scient. & ign. Inspect. 68.* In hoc tamen delicto, cum etiam conatus puniri soleat: pari cum ipso delinquente pœna afficiendum eum esse existimamus.

Th. XI.

Dum vero conatum puniendum dicimus, intelligimus talem, qui cum actu quodam externo conjunctus est: nam Tiberio Deciano subscribere non possumus, qui *Tr. Crim. l. 7. c. 35. n. 2.* per conatum hic etiam actum voluntatis immanentem, & mere internum intelligit. Vox igitur *cogitaverint in L. 5. C. ad L. Jul. Mag.* latius capienda est, quatenus simul actum externum involvit, veluti si quis cogitationes suas, ac malam intentionem alteri dicat. Add. Steph. Fagundez *ad IX. Præcept. Decal. c. 8. n. 4.* Barrhol. Tægus *Tr. Crim. P. 7. n. 3.*

Th. XII.

Restat ut paucis expendamus quæ ratione Liberi Rei criminis læsæ Majestatis recte puniri possint? Sane, si capitis pœna dictanda foret liberis, subscriberemus Grotio *lib. 2. de J. B. & P. cap. 21. n. 13.* iniquum esse, quod statuunt Arcadius & Honorius Imp. *debe- re liberos paterno perire supplicio, in quibus paterni criminis exemplamertuuntur.* Cum vero liberi saltem bonis, fama & patria priventur *in d. Constitut.* nihil illa pœna injusti continet, utpote quæ in securitatem Reipubl. statuta, ne nocendi potestatem habeant liberi. Est enim perduellis hostis Reipubl. at in hostem ejusque liberos quid non licet? Alberic. Gentil. *de Jure Belli lib. 2. cap. 21. circa fin.*

Th. XIII.

Sequitur adulterium, crimen omni pariter juri adversum.  
Hinc



Hinc etiam Justinianus in §. 4. b. t. & L. 30. in fin. C. ad L. Jul. de Adult. pœnam gladii huic delicto statuit, quæ tam Mari quam fœminæ irroganda. Id vero altioris indaginis est, cur Justinianus in Nov. 134. c. 10. pœnam quantum ad fœminas, mitigaverit, ac loco capitalis fustigationem dicitaverit? An hoc blandimentis Theodoræ elicium, an vero propterea statutum, quia fœminæ seductæ præsumuntur ab adultero, de eo nunc non disputamus: Si tamen ultima ratio retinenda, summa ratione defendi posset, Juvenem ab Uxore lasciva seductum pœna arbitraria, uxorem vero illam gladio plectendam esse.

#### Th. XIV.

Pariter id singulare est, quod in L. 1. C. ad L. Jul. de Adult. Severus & Antoninus Imp. constituerunt, & uxori potestatem contra maritum de Adulterio agendi ademerunt: Annon vero id rationem naturalem habeat, quæstionis est? Nos id affirmamus, quia major in fœminis quam in masculis castitas exigitur propter adulterini partus substitutionem Ant. Math. de Crim. tit. ad L. Jul. de Adult. cap. 1. n. 12. seqq. An contra jus divinum id sit, jam non disputamus. Sane expresse in sacris literis Uxori non conceditur facultas agendi ad divortium propter adulterium mariti: Nam Matth. 5. v. 31. & c. 19. v. 9. Christus de marito tantum loquitur. Textus vero Deut. 22. v. 22. Lev. 20. v. 10. & 1. Cor. 7. v. 4. saltem castitatem in matrimonio servandam contendunt.

#### Th. XV.

Licetum esse Patri, si filiam in adulterio deprehenderit, eam cum adultero occidere, constat ex L. 20. ff. ad L. Jul. de Adult. Quod variarum gentium moribus pariter approbatum: Ita ipse Ulpianus ad Solonis & Draconis LL. provocat in L. 23. d. 1. Et postea idem apud Longobardos, Gothos & Wisigothos receptum est. vid. Lindenbrog. LL. Antiq. l. 3. tit. 4. & 49. Plura Gentium exempla reperies apud Johan. Zeithoff. Tr. de Jure occident. Adult. P. 1. §. 22. seqq.

#### Th. XVI.



### Th. XVI.

Illud|vero hic qværitur, an ita Patris conscientia salva sit? Nos id affirmare non possumus; adfunt enim alia remedia Adulterum legitime coërcendi, & abesse ubiqve debet vindicta privata: LL. civiles vero, dum justæ iræ quid permittunt, eo ipso dum id non jubent, securam conscientiam reddere non possunt. Molina *de J. & J. Tr. 4. D. 7. n. 2.* Joh. de Lugo *d. J. & J. D. 10. Sect. 3. n. 52.* Nec vëro ideo injustas dixeris LL. nostras., utpote qvæ hoc factum impunitum saltem reddunt, qvo eo magis ab hoc scelere homines absterreantur, non vero id svadent vel præcipiunt Hugo Grot. *d. J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 17.* Paul Laymann. *Theol. Moral. l. 3. Tr. 3. P. 3. cap. 2. n. 4.* Dissentit tamen Covarruvias *T. I. Part. 2. cap. 7. §. 7. n. 21.*

### Th. XVII.

Non omittenda hic qvæstio est, an in extrema famis vel vitæ necessitate adulterium committere liceat? Videtur qvòd sic, siqvìdem superius *Disp. XIV. th. 4.* defensum memini, furtum ob extremam famem certis præsuppositis licitum esse, ac ne furtum qvìdem dicendum. Verum aliud statuendum hic existimamus. Longe enim alia ratio furti est, qvòd tempore necessitatis fit, quam adulterii. Placent igitur verba *L. Patrem 43. §. 5. ff. de ritu nupt.* non esse ignoscendum ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam egit. B. Brunnem. *in d. L. 43. n. 8.* Surdus *de Aliment. tit. 7. q. 16. n. 45.*

### Th. XIX.

Meretur, ut de Justitia pœnæ Adulterii moribus frequentatæ dispiciamus: ubi non defunt, qui injustissime pœnam capitalem adulteris, etiamsi duplicatum commiserint adulterium, statui existimant. Qvìcqvìd tamen ejus sit; constat sua etiam huic pœnæ æqvitas, qvæ & in ipsis sacris literis vice plus simplici dictatur *Levit. 20. v. 10. Deut. 22. v. 22. Ezechiel. 16. v. 38. & seqq.* qvòd, qui à Christo *Joh. 8. v. 11.* abrogatum statuunt, nimium quantum falluntur. Qvòd si igitur certum est, cum jure naturali pugnare a-

dult.



dulterium, & ipsa etiam Lex divina hanc pœnam statuens a dicit, quis eandem injustam pronunciare auit? vid. prolixè hac de re Carpz. *Prax. Crim. P. II. qv. 52. per tot.*

### Th. XIX.

Conscientiæ admodum periculosa est opinio, quam habet Steph. à S. Paulo *Theol. Moral. Tract. I. Disqv. 5. dub. 3.* virgini in stuprum consentienti nullam satisfactionem deberi in conscientia. Quamquam enim id admittam in muliere se offerente, & ad stuprum alliciente, alia tamen ratio est fœminæ cæteroquin honestæ, & cujus consensus non nisi blanditiis elicitus fuit: Hinc contrarium recte defendit Lessius *d. 7. § 7. l. 2. c. 10. dub. 5. n. 3.*

### Th. XX.

In locis nonnullis coronam quandam, tanquam signum virginitatis, gestare virgines solent. Quapropter quæritur, utrum vi stupratæ gestio ejusmodi ferti sit permittenda? Videri poterat, quod non, cum ita signum poneretur sublato licet signato, quod etiam urget Carpzov. *in Prax. Crim. Qv. 75. n. 8. & seqq.* Nos tamen contrarium statuimus, cum ipsi pudicitia, quæ in animo consistit, eripi non potuerit, nec ulla etiam macula notetur. Augustin. *de Civit. Dei, l. 1. c. 18.* Franc. Pfeil. *Conf. 147. per tot.*

### Th. XXI.

Homicidam gladio non puniri, nisi constet de lethalitate vulneris, recepta apud Criminalistas opinio est, adeo, ut quamvis de animo occidendi constet, homoque deprehendatur occisus, paucis etiam ab accepto vulnere horis, si tamen inspectio vulneris neglecta, a gladii pœna ipsam vulgo absolvant, vid. Carpz. *Prax. Crim. Qv. 15. n. 49.* Verum illa necessaria inspectio vulneris, instituta cadaveris sectione, ignota juri divino est. Nec jus Civ. an vulnus lethiferum sit vel non, ullibi considerat, quam in solo L. Aquilia, ut inde constet, an de occiso vel vulnerato, ex primo scil. vel tertio L. Aquil. capite sit condemnandus; In L. Cornelia autem, ubi criminaliter vindicatur homicidium, ad animum respicitur & mortem subsequutam, & idem hic reputatur, ad ex

B

vul-



vulnere immediato decesserit, an vero causam tantum mortis mediatam inde acceperit *L. 15. ff. ad L. Cornel. de Sic.* Nec Constitutio Criminalis aliter inspectionem desiderat, quam si quis post temporis intervallum decedat, ut inde dubitari possit, an ex vulnere decesserit *Constit. Crim. artic. 47. ibi: über etl. Zeit hernach stürbe.* Quapropter juri divino humanoque consentaneum esse existimo, ordinariam homicidii pœnam sibi locum vindicare, si brevi tempore post acceptum vulnus decedat, nec constet, vulneratum malo regimine sibi mortem conciliasse, quamvis omissa sit vulneris inspectio. Dn. Feldmann. *de Cadav. inspic. cap. 61. n. 7.* Blumblach. *Comm. ad Constit. Crim. artic. 149. n. 8.* Brunnemann *process. inquisit. cap. 7. n. 20.*

### Th. XXII.

Qui propinato philtro s. poculo amatorio, amorem feminae, licet matrimonii intuitu, sibi conciliare cupit, si hæc exinde moriatur, capite puniendus est, ex præscripto Jcti in *L. si quis 38. §. si abortionis 5. ff. de pœn.* Additur ibi: *licet dolo non fecerit.* Atqui sic obstabit vulgatum illud; ubi homicidium non est dolosum, ibi cessat ordinaria ejus pœna. Scilicet ex facto illicito præsumitur dolus, sufficit ergo mortem inde sequi posse. Confer. Paul. Zachias *Qu. Medico Leg. lib. 2. tit. 2. Qu. 3. n. 16.* Nec proficit matrimonii favor, ad hoc enim per scelus non adspirandum.

### Th. XXIII.

Intercessionem feminae pro damnato ad ultimum supplicium, ut ejus potiatur matrimonio, locum gratiæ aliquando facere, exempla testantur. Sane inferiori judici nulla hic relicta potestas; Imo nec Principi semper, qui homicidii pœnam ea propter remittere nequit, bene tamen pœnam furti, aliamve ex LL. humanis dependentem, eaque propter arbitrio Principis subjectam. Rationem remisii supplicii reperunt ex asserto Pontificis in *Cap. 20. X. de Sponsal.* quod meretricem in uxorem ducens, bonum opus faciat, proficiens ad remissionem peccatorum; quæ Pontificis sententia, an non sano sensu admitti possit, discursui reservamus.

Th. XXIV.



### Th. XXIV.

Avtocheiria homicidii speciem, & per consequens omni ju-  
re damnatam esse, nemo facile negabit. Nec ex *L. 9. §. 7. ff. de pe-  
cul.* contrarium deduci poterit. vid. Bachov. *de Aët. Disp. 8. th. 9. p.  
no.* nec puto excusari illum, qui ut cœlestium gaudiorum particeps  
fiat, sibi manus infert, vid. Ant. Matth. *de Crim. lib. 48. ff. tit. 5. cap.  
7. n. 10.* Expectanda enim sunt æterna gaudia, non scelere quô-  
dam præripienda. Bene August. *de Civ. Dei lib. 1. cap. 26.* neminem sibi  
debere mortem inferre melioris vitæ desiderio, quæ post mortem  
speratur: reos enim suæ mortis, melior post mortem vita non  
suscipit.

### Th. XXV.

An ambitus crimen incurrat, qui oblato pretio ad munus  
quoddam civile adspirat, si cæteroquin illis virtutibus instructus,  
ut illo ad salutem Reipubl. defungi possit, non levis concertatio  
est. Conscientiam hujus hominis non excusat Zœf. *ad ff. ad L.  
Jul. amb. n. 2.* Damhoud. *Prax. Crim. cap. 31. n. 3.* Verum cum perver-  
sis moribus hic aliquantum cedendum, si quis videat indignos  
dato pretio promoveri, cur ipse virtutum merito dignissimus,  
si quod sibi sine pretio debetur, oblato munere desideret, ut alios  
minus dignos excludat, penitus foret damnandus. Confer. Ti-  
ber. Decianus *in Prax. Crim. lib. 8. cap. 26. n. 4.*

### Th. XXVI.

Lex Julia Reperund. puras illibatasq; Judicum manus  
conservare voluit, ne venalem haberent justitiam. Unde non  
saltem, si pretio accepto male judicaverint, sed & si bene, crimi-  
nis illius reatum incurrunnt, ita ut conditioni ob turpem causam  
locus sit, *L. 2. §. fn. ff. de condic. ob turp. caus.* Quod enim ex of-  
ficio alicui faciendum incumbit, turpitudinis notam contrahit,  
si accepto demum pretio fiat.

### Th. XXVII.

Xenia tamen & esculenta Judicem sine crimine accipere  
B 2 posse,



posse, persuasum sibi habent haud pauci ex *L. 18. ff. de Offic. Praef.* si modo illud, quod oblatum; intra proximos dies consumi possit, per *L. 6. §. 3. ff. de Offic. Procons.* Sed confundunt sine dubio dona à provincialibus oblata Magistratibus in provinciam missis, cum illis, quæ Judici offeruntur: Hunc enim nec esculentia à partibus litigantibus accipere posse, evincit generalitas *L. ult. C. ad L. Jul. repetund.* Quapropter quod valde inhumanum esse dicit Modestinus in *d. L. 18.* à nemine accipere, sed passim, vilissimum, & omnia, avarissimum; ad Judices non trahendum. Conf. Sim. à Grenevegen *de LL. abrogat. ad L. 6. §. ult. ff. de Offic. Pro-Cons. n. 2.* Illustris Dn. Stryke *de Jur. Sens. Dissert. 6. cap. 4. n. 41. & sqq.*

Th. XXVIII.

Crimen de residuis patratum ab illis, quorum periculo & fidei pecunia publica commissa, pœnam Jure nostro leviolem habet, *L. 4. §. 5. ff. ad L. Jul. pecul.* ratio hujus pœnæ ex *L. 55. ff. de administr. tut. desumpta*, quod leviora sint furta in administratione commissa; Quapropter nec *ωαρπόδοξον*, nec *ἀνομιον* est Germanorum illud: Kleine Diebe henckt man / die großen last man lauffen: Verum sine ratione. Sane quo plus fidei exigitur in administratore, eo gravius vindicanda ejus perfidia. Unde & in Electorali Saxoniam criminis hujus reis seu Reliquatoribus patibuli quoque pœna imminet, Carpz. *Pr. Crim. qv. 85.* quod & in Electoratu Brandenburg. paucis ab hinc annis pariter sancitum.

Th. XXIX.

Judæum die Sabbathi supplicio destinare, Juris nostri placitis omnino refragatur, *L. die Sabbathi 13. C. de Judeis.* Unde mirum, quo jure Judices etiam inferiores, hodie sibi hanc licentiam fumant.

SOLI DEO GLORIA.



94 A 7387

ULB Halle  
006 301 592

3




V. 17











Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

18  
177X  
13  
B.V.  
PUBLICI  
IO XIX.  
TIMA  
e  
JUDICIIS,  
ad  
lib. IV. Inst.  
am  
RIDERICIANA,  
RESIDIO  
UELIS STRYKII,  
Prof. Publ. Extraord.  
rio Majori  
R. S. MDCXCIII,  
ventilationi  
mittet  
TON. LEOPOLD  
Eqves Austriacus.  
ALÆ,  
LDII, REGIMINIS ELECT, BRAND,  
POGR.